DE

MVTVIS PATRONORVM AC CLIENTIVM AD DISCIPLINAM ROMANORVM OFFICIIS

BREVITER DISPVTAT

ET

ACTVM ORATORIVM

IN

REGIO ILFELDENSI PAEDAGOGIO

AD D. XX. AVGVSTI MDCCLXXI.

HABENDVM

INDICIT

M. CAROL. FRIEDER. MEISNER

RECTOR.



GOETTINGAE,

APVD IOH. CHRIST. DIETERICH.






In concordiae civilis, rei ad rerumpublicarum salutem & fortunas unice necessariae, praesidiis haud exiguum illud mihi semper visum est, quod Romulus, fundator imperii, omnium quorum memoria exstat potentissimi, vel ipse excogitavit, vel ab aliis mutuatum, in novam suam rempublicam transtulit, per quod Patres & Plebem mutuis inter se officiorum vinculis copulavit, cum illos plebeiorum suscipere patrocinium, hos autem juberet, sibi quem vellent ex patriciis eligere, cuius se tutelae & fidei potissimum crederent.

Totum illud Romuli institutum Dionysius Halicarnassensis *a*) late, brevius Plutarchus *b*) persequitur; at Livius, quod iure quis miretur, prorsus non attingit, cum tamen narrationibus, quibus nonnunquam plus, quam velis, indulget fabulosis, potior utique videri possit rei ad Romanae civitatis statum inprimis memorabilis expositio.

Dio-

a) Antiquat. Roman. lib. 2. p. m. 83. sqq.
b) in Romulo p. m. 40. sqq.



Dionyſius, rei originem expliciturus (verba ipſa ad marginem dabimus) morem ait *c*) Graecum & antiquum illum eſſe, quo Theſſali etiam & priſci Athenienſes uſi ſint. " Apud Athenienſes (cum Solone haud dubie Romulus antiquior ſit) ex Theſei, vel Erechthei adeo, aut Cecropis inſtitutione illam civium in ordines diviſionem ortam eſſe reor; probabile tamen ſit, eosdem viros eam non primos excogitaſſe, ſed ab Aegyptiis mutuaſſe, etſi meliorem, quam Aegyptii, rationem ſecuti ſunt, cum in depreſſa & inferiore conditione natos, ab ſpe in altiorem ordinem enitendi, & magiſtratus capiendi non omnino arcerent. Arguit tamen nihilominus eos Halicarnaſſeus, quod pauperes & inferiores cives, iniungendo ipſis, quae ingenuos & liberos non decerent, & verbera intentando minus obſequioſis, eosque ſeruorum & mancipiorum inſtar habendo; ignominioſo denique *θητῶν* ſeu mercenariorum & operariorum nomine appellando, durius quam par eſſet habuerint. *Peneſtarum* apud Theſſalos, quorum Dionyſius meminit, in Athenaeo *d*) amplior eſt mentio, qui ad fidem veteris *ſcriptoris Archemachi commemorat:* „a Boeotis in Arnam colonia deducta, nonnullos eorum, qui in Boeotiam non redierunt, amoenitate & „opportunitate loci collectos, ſe ipſos Theſſalis in ſervitutem mancipaſſe, „ea tamen lege, vt neque extra illam provinciam educerentur, neque a „dominis interficerentur, ceterum ſe agrum dominis culturos, & annuum pro-

c) Dionyſ. Hal. l. c. *παρακαταθήκας δὲ ἔδωκε τοῖς πατρικίοις τȣ̀ς δημοτικοὺς, ἐπιτρέψας ἑκάςῳ τῶν ἐκ τȣ͂ πλήθȣς ὃν αὐτὸς ἐβȣ́λετο, νέμειν προςάτην. ἔθος Ἑλληνικὸν καὶ ἀρχαῖον, ᾧ Θετταλοί τε μέχρι πολλȣ͂ χρώμενοι διετέλεσαν, καὶ Ἀθηναῖοι κατ᾽ ἀρχὰς, ἐπὶ τὰ κρείττω λαβών. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ὑπεροπτικῶς ἐχρῶντο τοῖς πελάταις, ἔργα τὲ ἐπιτάττοντες ȣ̓ προσήκοντα ἐλευθέροις, καὶ ὁπότε μὴ πράξειάν τι τῶν κελευομένων, πληγὰς ἐντείνοντες, καὶ τἆλλα ὥσπερ ἀργυρωνήτοις χρώμενοι. ἐκάλουν δὲ Ἀθηναῖοι μὲν θῆτας τȣ̀ς πελάτας, ἐπὶ τῆς λατρείας. Θετταλοὶ δὲ, πενέςας, ὀνειδίζοντες αὐτοῖς εὐθὺς ἐν τῇ κλήσει τὴν τύχην.*

d) Deipnoſ. lib. 6. p. 264.



„proventum reddituros, pollicitos esse, — — atque horum deinde mul„tos, suis dominis ditiores factos esse“ Perperam Penestas Dionysium cum clientibus Romanorum comparasse Barbeyracius *e*) arguit, magnumque inter utrosque discrimen fuisse, Hen. Stephanum ostendisse ait, cuius cum mihi Schediasmata non ad manus sint, rem in medio relinquo. Ipse autem, eam patriciorum & plebis copulam Romulum a tam longinquis petivisse exemplis haud existimo, cum idem in Italia apud finitimos institutum viguisse videam: a Regillis enim oppido Sabinorum, Attam Clausum, gentis Claudiae autorem Romam, vel iam Romulo regnante, vel exactis demum regibus, cum *magna clientum manu*, commigrasse Suetonius & Livius narrant. *f*)

Quam vero honesta apud Romanos fuerit illa utriusque ordinis conjunctio, vel ex ipsa ait Dionysius decora illius appellatione apparere. *g*) Romulus enim Patronatum vocari eam pauperum & tenuiorum tutelam voluit.

Mutua autem officia, quibus utramque partem perhumana atque civili copula inter se conjunctam esse voluit, trifariam dispertit Dionysius, *h*) ita, vt primum patronorum erga clientes: deinde horum erga illos: ac denique utrisque communia recenseat. Eodem nos quoque ordine obseruato, de primis primo loco dicemus.

Patro-

e) in gallica operis Grotiani de Iure Belli & Pac. versione lib. 2. c. 5. §. 30. n. 5.

f) Sueton. in Tiberio c. 1. Liv. lib. 2. c. 16.

g) Dion. Halic. l. c. ὁ δὲ Ῥώμυλος ἐπικλήσει τε εὐπρεπεῖ τὸ πρᾶγμα ἐκόσμησε, Πατρωνίαν ὀνομάσας τὴν τῶν πενήτων καὶ ταπεινῶν προστασίαν.

h) ib. καὶ τὰ ἔργα χρηστὰ προέθηκεν ἑκατέροις, φιλανθρώπους καὶ πολιτικὰς κατασκευαζόμενος αὐτῶν τὰς συζυγίας.



Patronorum erat, *ut clientibus de iure responderent, cuius illi scientiam nullam haberent. i*) Est autem ius, siue de iure respondere, vel ipsas consultori leges edere, vel formulam agendi paciscendique legitimam dictitare, ac monitis eum & consilio instruere, ne conditionem deteriorem faciat, tandem etiam obscuras interpretari leges si id desideretur. Iuris enim scientiam patricii olim plebem celarunt, & in possessione sua retinuerunt, eamque, obtinendae atque augendae potentiae suae causa, pervulgari noluerunt. *k*) Quantam amplissimi apud Romanos clarissimique viri ab Iuris interpretatione & dignitatem & auctoritatem sibi quaesiverint, vel ex illo solo intelligimus, quod Crassus apud Ciceronem *l*) honestissimum illam celebrandae & ornandae senectuti praesidium, & domum Iureconsulti totius oraculum ciuitatis dicit, unde sibi consilium expeterent suarum rerum incerti. At alibi Cicero *m*) parum honorifice de illa iuris civilis scientia sentit, eamque tenuem vocat, quae res parvas tantum, prope in singulis litteris atque verborum interpunctionibus occupatas, contineret. „Etiamsi, inquit, apud maiores „nostros aliquid fuit in isto studio admirationis: id, enuntiatis Iureconsulto„rum mysteriis, totum est contemptum & abjectum. Posset agi lege, nec „ne, pauci quondam sciebant, fastos enim vulgo non habebant. Erant in „magna potentia qui consulebantur: a quibus etiam dies, tanquam a Chal„daeis, petebantur. Inventus est scriba quidam, Cn. Flavius, qui corni„cum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos populo propo„suerit, & ab ipsis cautis Iureconsultis eorum sapientiam compilarit. Ita„que irati illi, quod sunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata & cogni-ta,

i) id. l. c. ἦν δὲ τὰ ὑπ' ἐκείνου τότε ὁρισθέντα μέχρι πολλοῦ παραμείναντα Ῥωμαίοις ἔθη περὶ τὰς πατρωνίας τοιάδε. Τοὺς μὲν πατρικίους ἔδει τοῖς ἑαυτῶν πελάταις ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια, ὧν οὐκ εἶχον ἐκεῖνοι τὴν ἐπιστήμην.

k) Cic. de Offic. l. 2. c. 19. & de Orat. l. 1. c. 41.

l) de Oratore l. 1. c. 45.

m) Orat. pro Murena. c. XI.



„ta, fine fua opera lege poffet agi, notas quasdam compofuerunt, ut omni„bus in rebus ipfi intereffent.“ Lepidum quod deinde fubiicit, verbofae illius iuris fcientiae exemplum, non transfcribo, fententiam duntaxat Ciceronis de tota illa re addo: „ridicula iam tum ea credit apud illos barbatos „vifa effe: ineptiis omnia fucata fuiffe, quae tamen dum occulta effent, „neceffario ab iis, qui ea tenerent, peterentur: poftea vero pervulgata, at„que in manibus iactata & excuffa, inaniffima prudentiae reperta effe: frau„dis autem, & ftultitiae pleniffima.“ Non piguit haec ex Cicerone integra apponere, cum iis, quae deinceps de abufu huius partis patrocinii dicentur, haud levem autoritatem addere poffint. Ad vanitatem autem, & formularum ineptias, tum potiffimum verti coepit iuris fcientia, cum, perlata poft atroces contentiones lege Terentilla *n*) plebs Romana poteftatem patribus extorfiffet, leges quas vellent, tacite perferendi. Antea enim, cum fcriptis nondum Romani legibus uterentur, omne fere privati iuris arbitrium penes patricios fuit. In magiftratibus enim conftituti, quamcunque litigantibus fententiam pronuntiaverant, recte utique & ex lege pronuntiaffe cenfebantur. dum enim ad naturalem iuftitiam caufas dirimebant, ob ipfam, quam fequebantur, aequitatem naturalem recte pronuntiaffe videbantur: quoties autem iniquae eorum fententiae erant, fi ad occultas, ut tunc folebant facere, provocabant leges, Romuli, Numae, Servii, & morem maiorum, nemo, plebejorum certe, propter iuris ignorationem, fraudis eos arguere poterat. Ut igitur illud, perlatis XII. Tabularum legibus, amiffum iuris privati arbitrium recuperarent, novam patres rationem ineuntes, legis actiones, folennesque formulas, de quibus antea Ciceronem audivimus, invenerunt, atque per iftud, quod prodere nefarium arbitrabantur, iuris & formularum arcanum, & per illam ius clientibus refpondendi poffeffionem, plebem porro Romanam obnoxiam habuerunt. Quam autem fcenica fuerit formularia illa iuris fcientia, quamque ad fucum ignaris faciendum plane com-

n) Livius lib. 3. c. 9.



composita, vel ex ipsis videre est ritibus, quibus uti consultores oportuit, quosque in respondendo haud secus patroni custodivere, ac si neglectis iis, ipsa res clientum & salus periclitaretur. Taedet autem exempla transscribere, & paginae quoque angustia vetat: adeant interim quibus volupe est auctores in margine excitatos. *o*) Id vero transire nequeo, cum ad historiam instituti a Romulo patrocinii pertineat: Iureconsultos illos, qui se consulentibus ius respondere profitebantur, vicem paullatim veterum illorum patronorum in se suscepisse. Primum enim viri, qui famam singularis in iure peritiae adepti erant, operam suam consulentibus quibuscunque praebere, eosque etiam suos clientes appellare; mox etiam iuvenes admittere qui responsa notarent, vt ita una, & tradendi, & interpretandi iuris rationem discerent; *p*) alii deinde scriptis etiam declarare leges, nec a litigantibus solum, verum etiam ab ipsis iudicibus consuli, eoque eam sensim adipisci autoritatem, ut responsa illorum ipsi iuri scripto accenserentur; fieri denique, at amissa demum republica libera sub imperatoribus, ut non cuivis, qui studiorum suorum fiduciam haberet, liberum esset se Iureconsultum profiteri, sed eam ab imperatore ipso impetrare facultatem necesse esset. *q*) Atque eo vetus ille a Romulo institutus patronatus sensim exolevit.

De primo patronorum erga clientes officio satis dictum. Alterum, quod clientibus patroni debebant, fuit: *r*) „Ut aeque praesentium & absen„tium curam gererent, omnia facientes, quae pro filiis patres solent, in

„ne-

o) Heinecc. Syntag. antiq. Iurispr. illust. l. 1. T. 2. §. 33. Cic. Orat. pro Murena. c. 12. Barn. Brisson. de formulis lib. 3. no. 85. sqq. p. 313.

p) Heinecc. l. c. §. 43.

q) §. 8. Instit. de Iure N. & G. & l. 2. §. 47. D. de Orig. Iuris. Alex. ab Alex. Genial. Dier. l. 6. c. 23.

r) Dion. Hal. l. c. *παρόντων τὲ αὐτῶν καὶ μὴ παρόντων τὸν αὐτὸν ἐπιμελεῖσθαι τρόπον, ἅπαντα πράττοντας ὅσα περὶ παίδων πράττουσι πατέρες, εἰς χρημάτων τὲ καὶ τῶν περὶ χρήματα συμβολαίων λόγον.*

„negotiis praeſertim & contractibus ad opes & rem pecuniariam ſpectantibus.“ Non ergo conſilio ſolum & iuris ſcientia, verum opera etiam, ac re patronum oportuit clientem iuvare. Eſt eius rei exemplum in Suetonio *s*) ubi ſtudium Caeſaris & fidem erga clientes laudans, „nobilem, inquit, ju-„venem Maſintham adverſus Hiempſalem, regem tam enixe defendit, vt „Iubae regis filio in altercatione barbam invaſerit, ſtipendiariumque pronun-„tiatum, & abſtrahentibus ſtatim eripuit, occultavitque apud ſe diu, & mox „ex praetura proficiſcens in Hiſpaniam inter officia proſequentium, faſces-„que lictorum lectica ſua avexit,“

Porro patronorum id etiam officium fuit: „ut lites pro clientibus in-„iuria afflictis, vel in contractibus laeſis ſuſciperent, vel in ius vocatos ſu-„ſtinerent, atque omnino vacationem qua maxime opus haberent, a privatis „publicisque cauſis ac negotiis ipſis praeſtarent.“ Atque de hac patrocinii parte, honorifice admodum Cicero *u*) loquitur, eamque, qua potiſſimum praeſtabatur, dicendi facultatem gravem & plenam dignitatis appellat, quae plurimas gratias, firmiſſimasque amicitias, & maxima ſtudia pariat. Fuit quoque multorum in defendendis clientibus diligentia ſumma, quippe qua ad ſummos in republica magiſtratus viam ſibi potiſſimum munivere novi homines, qui eniti in toga cuperent. A dicendis enim in foro cauſis initium plerumque illos cepiſſe, ut & clientes, amicosque plurimos ſibi pararent, & eloquentiae famam quaererent, illuſtre Ciceronis exemplum teſtatur, & diſertum autoris Dialogi de cauſis corruptae eloquentiae teſtimonium confirmat. *v*) Neque ſummos quidem viros clientibus adeſſe dedignatos eſſe

in ipſo

s) in Caeſare c. 71.

t) Dion. Hal. l. c. *δίκας τε ὑπὲρ τῶν πελατῶν ἀδικουμένων λαγχάνειν, εἴτις βλάπτοιτο περὶ τὰ συμβόλαια καὶ τοῖς ἐγκαλοῦσιν ὑπέχειν. ὡς δε ὀλίγα περὶ πολλῶν ἄντις εἴποι, πᾶσαν αὐτοῖς εἰρήνην τῶν τε ἰδιῶν καὶ τῶν κοινῶν πραγμάτων, ἧς μάλιϛα ἐδέοντο, παρέχειν.*

u) Orat. pro Murena. c. 11. *v*) c. 36. toto.



in ipſo Auguſto w) exemplum habemus, qui ſcutario cuidam, evocato quondam ſuo, iniuriarum poſtulato adeſſe in iudicio haud gravatus eſt.

Conſtat autem mutatum ſenſim illum quoque eſſe morem maiorum, iam libera etiamnum republica, multo vero magis ſub imperatoribus. Primum enim Iureconſulti illi, de quibus antea diximus, praeterquam quod de iure conſulentibus reſpondebant, patronos etiam cauſarum in foro dicendarum ſe profitebantur, pollicebanturque, advocatos ſe adſuturos, quibuscunque uti opera ſua placeret: quare etiam Advocati, Cauſſidici, & cauſarum Patroni dicti ſunt potius, quam oratores x) Deinde, cum nobiliſſimum illud a Romulo inſtitutum patrocinium paullatim mercenarium eſſe inciperet, alii quoque plurimi, licet eam ſtudiorum ſuorum fiduciam minime haberent, ut ius reſpondere auderent, cauſas tamen coram iudice agere non erubuêre. Artem autem hi ex Grammaticorum potius praeceptis hauriebant, quam ab exemplis petebant virorum, qui in comitiis & populi concionibus quondam exercitam eloquentiam habuerant, & quorum ingenia ac diligentiam in maximum propoſiti praemium ſummi civitatis honores excitaverant: nam cauſſidicos illos mercede conductos, nulla magnopere, neque clientelae neceſſitudo, neque cauſarum quibus patrocinabantur gratia, ſed opima duntaxat merces plerumque ſtimulabat, cum plerique ei ſimiles eſſent, qui in Plauto z) loquitur:

Ut hoc utimur maxime more moro
Moleſtoque multum! atque ut quique ſunt
Optumi maxumi, morem habent hunc:
Clientes ſibi volunt eſſe multos.
Bonine an mali ſint, id haud quaeritant,
Res magis quaeritur quam clientium

Fides

w) Sueton. in Auguſto c. 56.
x) Dial. de cauſſ. corrupt. eloqu. c. 1.
z) in Menaechm. Act. 4. ſc. 2.

Fides cujusmodi clueat.
Si est pauper atque haud malus, nequam habetur,
Sin dives malus est, is cliens frugi habetur.
Qui neque leges, neque aequum bonumque usquam
Colunt, sollicitos patronos habent.
Datum denegant quod datum est. litium
Pleni, rapaces, viri fraudulenti,
Qui aut foenore aut perjuriis habent rem
Partam. Mens est in querelis.
Iuris ubi dicitur dies, simul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis
Loquantur, male quae fecerint; aut ad
Populum, aut in jure, aut ad iudicem res est.

Atque mercedis hi caussarum patroni ita plerumque avidi fuere, ut Tacito *a*) teste, imperante Nerone, haud quidquam publicae mercis tam venale fuerit, quam advocatorum perfidia, vtque tum patres legem Cinciam flagitaverint, quae ipsa lex quondam a M. Cincio Alimento Tr. Pl. A. V. DCLIX. lata documento est, iam tum temporis patronos simili flagitio contaminatos fuisse; vetat enim lex, ne quis ob caussam orandam dona ac munera caperet: obliteratam illam Augustus denuo referre; Nero autem ei etiam obrogare necesse habuit, & cum a profligatis seculi sui moribus, vt integra observaretur, sperare haud sustineret, contentus fuit, pecuniae pro patrocinio capiendae modum statuisse, ut ne dena sestertia egrederetur. *b*)

Haec de patronorum officiis. Nunc de clientibus videamus, primo qui ita apud Romanos vocati sint; deinde quae eorum officia fuerint; & quatenus denique illud Romuli institutum valuerit, dispiciamus.

Liberam

a) Annal. lib. II. c. 5.

b) Sueton. in Nerone c. 17. Tacit. l. c. c. 7.



Liberam, Dionysius inquit, a Romulo plebejis optionem concessam esse, ut quemcunque e Patriciis vellent patronum sibi eligerent. Eam equidem intelligo optionem, non eo solum sensu liberam fuisse, ut nemini patronus obtruderetur quem nollet, sed ita etiam, ne omnino patronum sibi legere cogerentur ii, qui per se absque patroni ope se satis tutos arbitrarentur. Sub regibus quidem, & recentis adhuc reipublicae liberae tempore, paucos credo plebejos fuisse, qui nullum sibi e patribus patronum legissent, quod, qui, lectis a Romulo centum patribus, in illa novi populi colluvie superessent, omnes haud dubie pauperes & tenuiores erant. At postea, forsan iam inde a Servii regis tempore, viluisse paullatim hoc Romuli institutum existimo, atque opulentos plebejos, se in patriciorum commendare clientelam dedignari, & per alium se tueri, subinde etiam deforme adeo & probro sibi habere coepisse. Argumenta quae, ut ita sentiam, me commovent fere haec sunt. In illa apud Dionysium *c*) oratione, quam Appium Claudium, facta prima plebis in montem sacrum secessione, in Senatu habuisse perhibet, eo, ut moderata Menenii Agrippae leniendae plebis consilia refelleret, inter alia Appius dissuadendi argumenta, illo etiam utitur: vereri se utique, ne, si iratae plebi cederent patres, postremo urbe ipsi pellantur, quemadmodum in aliis multis civitatibus, & novissime Syracusis acciderit, ubi agrorum possessores (γεωμόροι) a colonis suis clientibus (πρὸς τῶν πελατῶν,) pulsi essent. Ex illa colonorum Syracusanorum ad clientes & plebem Romanorum facta comparatione probabile fit, etiam Romanos clientes colonos tantum fuisse, & patricios agrum Romanum fere solos possedisse, eiusque rei aliud argumentum acerrimas illas, a legibus agrariis postea inter utrumque ordinem coortas, contentiones esse arbitror. In lite illa, quam M. Claudius Appii Decemviri cliens, coram ipso illo Appio, Virginiae intentabat, ut virginem ingenuam in servitutem vindicaret, eamque deinde percito amore eius Decemviro traderet, ille fictam istam, non argumentis

c) Antiq. Rom. lib. 6. p. m. 388.



mentis tantum & rationibus causam egisse, sed assiduas etiam preces addidisse dicitur: ne sui quam adversariorum minor ratio haberetur, quod cliens & humili loco natus esset. (ὅτι πελάτης ἦν, καὶ ταπεινὸς d). Ex illis equidem verbis colligo: clientes iam tum ex infima plebeiorum classe proletariorum & capite censorum potissimum fuisse, & divites plebejos, qui in continuis illis propter foenus, & nexos, & ob leges agrarias coortis contentionibus, plerumque a patriciorum partibus stabant, se raro in horum clientelam contulisse; neque enim illo argumento, ad sollicitandum Decemvirum M. Claudius usus esset, praesertim cum adversarii eius, Virginius pater, & Icilius sponsus virginis, & ipsi plebeii essent, nisi id, in clientela patricii esse, hominis tenuioris & obscurioris indicium habitum fuisset. Porro, id etiam sententiae meae existimo vim aliquam, & pondus addere: quod ex Servii Tullii constitutione, manumissores libertorum suorum, & patroni erant, & dicebantur. Videtur enim Servius, cum tanti dominos beneficii in servos autores faceret, ut non libertatem tantum dare, sed civitatem simul cum libertate tribuere possent, firmo utrosque inter se vinculo copulare voluisse, atque ea in re potissimum illud a Romulo institutum patrocinium secutus esse, ut simili manumissores cum libertis suis vinculo coniungerentur. Non equidem ignoro, fortius, & non benevolentiae tantum, verum etiam iuris istud arctum vinculum, inque illo multa fuisse, quae plane ab ingenuis clientibus abhorrerent; non enim liberam optionem habebant liberti, ut quem vellent patronum sibi eligerent, sed necessarius ipsis patronus, erat manumissor: iura quoque patronorum in libertos, agnatorum fere iuribus aequalia erant, neque poterat libertus, cui heres suus non esset, si testamentum conderet, patronum praeterire: praeterea alia quoque satis praeclara ad patronos iura, ex illa cum libertis copula pertinebant, quae utique patronis ingenuorum clientum non competebant. At opera, dona ac munera ingenuos quoque clientes, patronis debuisse certum est, & in aliis

d) Dion. Hal. l. c. p. m. 711.

aliis etiam amborum conditionem satis congruam, clientesque saepius cum libertis coniunctos invenio. *e*) Hereditarias quoque (de quibus infra Dionysii verba dabo) clientelas, plurimas certe, ex hoc manumissorum & libertorum vinculo originem traxisse, puto. Licet enim libertinorum filii ingenui, solutique essent arcto illo iuris vinculo, quo pater eorum, manumissori suo obstrictus fuerat; attamen plerosque nihilominus, grati animi causa, in clientela familiarum, quibus & libertatem, & civitatem acceptas ferebant, libenter perseverasse credo, praesertim cum meninerim, unam, initio, omnium ex servitute manumissorum, libertatem, & ius civitatis optimum libertis etiam concessum: iura autem Latinorum & dedititiorum serius demum reperta esse. *f*) In causa M. Claudii Virginiam in servitutem vindicantis, Appius Decemvir *g*) ait: „pater huius M. Claudii cum e vita excederet, rogavit me, ut filii sui quem puerum relinqueret tutelam susciperem, sunt „enim clientes familiae nostrae iam inde a maioribus," qui locus haud obscure probare videtur: hereditarias clientelas, plurimas certe, a libertis ortas esse. cum enim liberti nomen manumissoris assumerent, videtur utique iste M. Claudius, Appii Decemviri cliens, & ipse libertinae conditionis homo origine fuisse. Ut igitur hereditarias eiusmodi clientelas consequerentur, praecipua videtur manumittendorum servorum causa, eaque haud dubie satis honesta, inprimis, si ad turpes illas manumittendi causas, quae legi Aeliae Sentiae occasionem dedere, comparetur.

Sed

e) l. 3. D. de Usu & Habitat. l. 5. §. 1. D. de his qui deiecerunt, vel effuder. l. 3. §. 6. D. de penu legata. l. 24. D. de Testibus. cet. idem quoque P. Pithoeum Annot. ad Tit. 9. Collat. Leg. Mosaic. & Roman. p. 174. docere, autorem sequor Cortium ad Sallustii Catil. c. 50.

f) Lib. 1. Tit. 4. Institut. Iustin. Sigon. de antiq. Iure Pop. Rom. l. 1. c. 6. & lib. 2. c. 14. Institut. l. 1. T. 5. §. 3. a primis urbis Romae cunabulis una, atque simplex libertas competebat. i. e. eadem quam habebat manumissor; nisi quod scilicet libertinus sit qui manumittatur, licet manumissor ingenuus sit.

g) Dionys. Hal. l. 11. p. m. 716.



Sed ad officia, quae a clientibus patronis debebantur, transeamus. Ea, quorum expressa est mentio apud Dionysium, *h*) fuere haec: Ut patronis, quibus parum copiarum esset, in elocandis filiabus pecunias conferrent. Dotare enim filias, Romanis reipublicae expedire visum est, secus ac aliis gentibus. At in prima illa Romanorum paupertate, aes grave tantum dos fuit, illarum quoque, quae laute dotatae essent; mox decem millia aeris dotes non excessere: postea cum iam desidere veluti mores inciperent, quadraginta millia supergressae sunt, in tantum, ut, quod quinquaginta aeris millia dotem dederat, dotata ideo nomen Megulia ferret. *i*) Sed quamvis ea summa, in prisca illa paupertate, magna videretur, modica tamen fuit, ut quae plerorumque censum patriciorum, quos in prima vel secunda Servii classe fere omnes censos fuisse reor, non superaret. Itaque raram admodum huius officii occasionem clientibus fuisse puto, neque adeo miror, ita dotatae a clientibus filiae patroni exemplum mihi nondum occurrisse, nisi illud huc trahere libeat, quod cives collatam a se, in funus Menenii Agrippae, pecuniam, liberis deinde eius tradiderunt, cum ista sua in virum optimum caritate Senatui verecundiam fecissent, ut data ex aerario pecunia funus eius procurare iuberet. *k*) Contra autem sunt exempla aliquot tantae virorum consularium & patriciorum paupertatis, Valerii Poplicolae, M. Curii, Fabricii Luscini, Scipionis, ut filias illorum ab indotatis nuptiis, Senatus & aerarium vindicare opus haberent. *l*) At ipsis illis commoveor exemplis, ut, cum viri illi haud dubie clientibus non caruerint, credam, Romuli illud institutum, collata a clientibus pecunia filias dotandi, in usu vel nullo, vel rarissimo fuisse. Et si, quae huius clientium erga patronos


nos

h) p. m. 84. τοὺς δὲ πελάτας ἔδει τοῖς ἑαυτῶν προςάταις θυγατέρας τὲ συνεκδίδοσθαι γαμουμένας, εἰ σπανίζοιεν οἱ πατέρες χρημάτων.

i) Valer. Max. l. 4. c. 4. §. 10.

k) Dion. Hal. Ant. Rom. lib. 6. p. m. 416.

l) Val. Max. l. c. Alex. ab Alex. Genial. Dier. l. 4. c. 8.



nos officii vestigia supersunt, in donis ea nuptialibus superesse existimo; cum autem ea & liberti, & servi adeo, nonnunquam darent, ad novam id libertorum cum clientibus in ea re similitudinem, novumque inde argumentum translati a Servio Romulei illius ad libertos instituti, trahere posse mihi videor.

Alterum, clientium erga patronos officium fuit: *m*) ut patronum, vel filium eius, captos ab hoste redimerent." Exemplum eiusmodi redemtionis a clientibus factae, equidem nullum inveni; inter ingentia autem beneficia, eam ex captivitate liberationem connumeratam esse, tum dura captivitatis bellicae mala, & magnum restitutae libertatis, amissaeque civitatis bonum, cuique facile persuadebunt, tum exempla quoque testantur, grati in Q. Terentio Culeone erga Africanum maiorem animi, & in duobus millibus civibus Romanis, quos Flamininus liberaverat, qui omnes pileati, currum triumphantium liberatorum comitati sunt, *n*) apparetque eiusmodi clientes tali redemtione etiam patronorum patronos videri potuisse.

Porro „clientes, privatarum litium aestimationes, & mulctas publicas „pro patronis solvere, idque sumtu proprio & gratis, non foenore prae-„stare tenebantur. *o*) Memorabile huius rei exemplum apud Livium *p*) in M. Furio Camillo habemus, qui, cum dies ei, propter Vejentanam praedam a Trib. pl. L. Appulejo, dicta esset, domum tribules, clientesque, qui magna pars plebis erant, accivit, percunctatusque animos eorum responsum tulit: se collaturos quanti damnatus esset, absolvere eum non posse. Utro-

m) Dion. Hal. p. 84 καὶ λύτρα καταβάλλειν πολεμίοις, εἴ τις αὐτῶν ἢ παίδων αἰχμάλωτος γένοιτο.

n) Val. Max. l. 5. c. 2.

o) Dion. Hal. p. 84. δίκας τε ἁλόντων ἰδίας ἢ ζημίας ὀφειλόντων δημοσίας ἀργυρικὸν ἐχούτας τίμημα. ἐκ τῶν ἰδίων λύεσθαι χρημάτων, οὐ δανείσματα ποιοῦντας ἀλλὰ χάριτας.

p) lib. 2. c. 32.

Utroque igitur illi officio, tum quod patrono debebant, mulctam conferendo, tum quo patriae obstrictos se putabant, non absolvendo Camillum, fungi voluerunt; at ille hoc audito in exilium potius abiit Neque hoc loco praetereundum est, solitos fuisse clientes, ubi reus factus esset patronus, vel patroni gentilis eique dies dicta esset, vestem cum ipso simul mutare, & sordidatos cum gentilibus reliquisque rei necessariis, in comitio cives prensare, populique implorare clementiam, & poenam deprecari, quemadmodum in populi de Appio Decemviro iudicio C. Claudium fecisse apud Livium *q*) legimus.

Tandem „clientes etiam oportuit, patronum in magistratibus, & muneribus publicis gerendis, ceterisque impendiis publicis sumtuum parte, non „minus quam genere propinquos, sustinere.“ *r*) Utrum magistratibus apud Romanos certa antiquitus stipendia & salaria data sint nec ne, definire equidem, cum testimonia in neutram partem satis idonea habeam, non audeo, sunt autem rationes haud improbabiles, quae animum in posteriorem magis, quam in priorem partem inclinent. Primum enim satis constat stipendia militibus apud Romanos diu nulla fuisse, neque simile vero puto, ut ducibus essent salaria, cum reliqui milites gratuitam Reipublicae militiam facerent: ex quo autem militibus, & equitibus stipendia data sunt, centurionum quoque, & Tribunorum militarium ac Legatorum ab autoribus commemorantur stipendia, at, an ducibus etiam data sint, non dicitur. Deinde autem summorum apud Romanos virorum paupertas, ut T. Quinctii Cincinnati, eiusque ad uxorem querela, cum consul absens creatus esset, & a Senatu per legationem ex agro quem ipse colebat in urbem arcesseretur, dicentis: ergo hoc anno agellus mihi non seretur, & de victu periclitabimur:

q) lib. 3. c. 58.

r) ἔν τε ἀρχαῖς καὶ γερηφορίαις, καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς εἰς τὰ κοινὰ δαπάναις, τῶν αναλωμάτων ὡς τοὺς γένει προσήκοντας μετέχειν.



mur: *s*) Et M. Atilii Reguli exemplum *t*) qui, cum in Africa insolentissimae Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob res bene gestas in proximum annum imperium cognosset, consulibus scripsit: villicum in agello, quem septem jugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento discessisse, ideoque petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, unde uxor ac liberi sui alerentur; quae postquam Senatus a Coss. accepit, & agrum Atilii illico colendum locari, & alimenta coniugi, ac liberis praeberi, resque quas amiserat, redimi publice iussit: Illa ergo exempla argumento mihi sunt, ut existimem, nulla, tum certe, ne summis quidem magistratibus, gerendi muneris causa salaria ac stipendia fuisse, sed sumtus, quos reip. causa impendere opus haberent, aerarium praebuisse, atque praemii loco, eos praedae militaris pro se quoque partem, sicubi reliquis eam militibus dividerent, capere utique potuisse, quo iure suo saepenumero non utebantur, sed ne invidiae esset. vel integram in aerarium praedam inferre vel totam militibus distribuere potius habuerunt. Atque eam primorum magistratuum conditionem commovisse Romulum reor, ut in illa civitatis suae paupertate, clientibus id officium erga patronos imponeret, ut qui publice plebis & populi curam gererent, eos necessario ipsi sumptu iuvarent.

Recensitis hisce mutuis patronorum & clientium officiis, Halicarnassensis communia utrisque subiungit: „ne alteris accusare alteros: ne adversum dicere testimonium ferreve suffragium fas & ius esset: utque inter inimicos censeri improbum haberetur.“ *u*) Exemplum ad primum & secundum horum officiorum pertinens Cajus imperator praebuit, qui, ut Suetonius

s) Dion. Hal. l. X. A. R. p. m. 644. *t*) Val. Max. l. 4. c. 4.

u) Dion. Hal. p. 84. *κοινῇ δὲ ἀμφοτέροις οὔτε ὅσιον οὔτε θέμις ἦν κατηγορεῖν ἀλλήλων ἐπὶ δίκαις, ἢ καταμαρτυρεῖν, ἢ ψῆφον ἐναντίαν ἐπιφέρειν, ἢ μετὰ τῶν ἐχθρῶν ἐξετάζεσθαι.*

nius *v*) ait: „quo magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulie-„ri libertinae octoginta donavit, quod excruciata gravissimis tormentis, de „scelere patroni reticuisset.“ De libertina id quidem dictum est, credo tamen ex vetere instituto Romuli ductum esse, & patronos inter atque clientes multo etiam magis valuisse. De Augusto proditum legimus, *w*) T. Iunium Philopoemenem, quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate ab eo decoratum esse. Per ipsas quoque privati iuris regulas, adversa patronis clientium testimonia haud admittenda esse, interpretes *x*) statuunt, quia inter domesticos patronorum numerantur. Et Paulus *y*) inquit: lege „Iulia iudiciorum publicorum cavetur, ne invito de-„nuncietur, ut testimonium dicat, adversus socerum, generum, vitricum, „privignum, sobrinum, sobrino natum, eosque, qui propiore gradu sunt, „item ne liberto ipsius liberorum eius, parentum, viri, uxoris, item pa-„troni, patronae, & ne patroni, patronae adversus libertos, neque liberti „adversus patronum cogantur testimonium dicere.“ De patronis libertorum id quidem dictum est, sed haud dubie ex veteri *illo* vinculo patronorum & clientium derivatum. Valere etiam hanc Pauli sententiam ad eos, de quibus agimus, clientes, eam ob causam existimo, quod cognationes commemorat, quibus, ut infra docebimus, necessitudo patronorum & clientium apud Romanos utique potior habebatur.

De sanctione, huius vinculi dicturus Dionysius *z*) pergit: „Quodsi „quis deprehensus esset horum aliquid facere, lege de proditoribus teneba-„tur,

v) in Caligula c. 16. *w*) idem in Augusto, c. 27.
x) ad l. 24. D. de testibus.
y) l. 4. D. de Testib. Alex. ab. Alex. Gen. Dier. l. 3. c. 20.
z) Dion. Hal. l. c. εἰ δέ τις ἐξελεγχθείη τέτων τὶ διαπρατίόμενος, ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς παροδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος. Τὸν δὲ ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν, ὡς θῦμα τῦ καταχθονίου Διός. ἔθος γαρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι, τὰ του-



„tur, quam ſanxit Romulus, convictumque eius criminis cuivis fas erat, ut „Diti ſacrum, interficere. Mos enim erat Romanis, quos vellent impune „occidi, eorum corpora devovere Deo cuipiam, praecipue Diis inferis, „quod tunc quoque fecit Romulus." Nullum mihi quidem ſeveri eius maiorum moris exemplum obvenit; at conſtat legem illam Decemvirorum adhuc tempore viguiſſe, in fragmentis enim XII. Tabb. exſtat Tab. VII. *Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto.* & ex illo Virgilii *) loco, ubi *fraus innexa clienti*, in flagitiis Tartaro dignis connumeratur, apparet, quantopere boni omnes id ſcelus averſati ſint. Et Claudium Caeſarem, *a*) ideo potiſſimum libertos ingratos, & de quibus patroni quererentur, in ſervitutem revocaviſſe reor, atrocemque eam ingratitudinem exiſtimatam, quod, ut antea dixi, iura patronorum in libertos ad ſimilitudinem veteris patrocinii a Romulo inſtituti facta videntur.

Atque fortiſſimum illud initio vinculum fuiſſe, multa mihi, neque levia argumenta perſuadent. Verum enimvero in priſca republica, Patres omnium fere rerum poteſtatem parum regia inferiorem habuiſſe, neminem credo, niſi rerum Romanarum plane ignarum, fugere, & tum quoque cum iam ſuos plebs Tribunos haberet, qui curam eius & tutelam ſuſcepere, omnia nihilominus diu patres potuiſſe. Illam autem potentiam ab hoc inprimis patrocinii & clientelae vinculo mutuati ſunt. Raro enim clientes ſuis a patronorum ſuffragiis abiiſſe, & plerumque etiam in contentionibus utriusque ordinis, a patronorum partibus ſtare ſolitos fuiſſe Livius *b*) in cauſis Marcii Coriolani & Kaeſonis commemorat: „diſpoſitis inquit, in Marcii „cauſa clientibus, abſterrendo ſingulos a coitionibus conciliisque, rem pa„tricii disiicere tentabant." & in Kaeſonis cauſa ait: „iuniores etiam pa„tricii,

τούτων σώματα θεῶν ὁτῳδήτινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν. ὃ καὶ τότε ὁ Ῥωμύλος ἐποίησε.

*) Aeneid. l. VI. v. 609.

a) Sueton, in Claudio c. 25.

b) L. 2, c. 35. & L. 3, c. 14.

„tricii cum ingenti clientium exercitu instructi paratique aderant, tribunos-„que adeo adoriebantur, ne lex Terentilla perferretur.“ In ipsis quoque comitiis Tribunorum creandorum, quum nondum tributis legerentur, plerumque quos patricii mallent creatos esse Tribunos, idem autor est. Narrationi enim de Voleronis ad populum rogatione, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent, subiicit: *c*) „haud parva res, sub titulo prima specie „minime atroci ferebatur, sed quae patriciis omnem fere potestatem, per „clientium suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret.“ Per clientelas denique Patres saepenumero telum, quo frequenter Tribuni in acribus secum certaminibus utebantur, feliciter obtuderunt. Cum enim delectum subinde Tribuni impedirent, plebemque ad nomina respondere vetarent, patricios aliquoties solos, cum exercitu clientium & amicorum, hostibus urbi imminentibus, & agrum Romanum populantibus obviam factos legimus. Ita Fabiam gentem, Veiens bellum in se susceptum, cum parvo quatuor circiter millium exercitu clientium & sodalium ad Cremeram gessisse; & Marcium etiam Coriolanum coacta amicorum & clientium manu adversus Antiatem hostem prospere pugnasse invenimus. *d*)

Quam illud sanctum Romani vinculum habuerint, inde quoque colligimus, quod Halicarnassensis *e*) dicit: „per multas aetates permansisse mu-„tuam illam patronorum ac clientium copulam, haud secus quam cogna-„tae necessitudines per manus traditae. hereditarias enim plurimas clientelas „habere, easque non conseruare solum, verum novis etiam propria vir-„tute

c) id. l. 2. c. 56.

d) Dion. Halic. l. 7. p. m. 469. &. lib. 9. p. 573. Liv. l. 2. c. 49.

e) Dion. Hal. l. c. p. 85. τοίγάρτοι διέμειναν ἐν πολλαῖς γενεαῖς οὐδὲν διαφέρουσαι συγγενικῶν ἀναγκαιοτήτων αἱ τῶν πελατῶν τε καὶ προστατῶν συζυγίαι, παισὶ παίδων συνιστάμεναι. καὶ μέγας ἔπαινος ἦν τοῖς ἐκ τῶν ἐπιφανῶν οἴκων ὡς πλείστους πελάτας ἔχειν, τάς τε προγονικὰς φυλάττουσι διαδοχὰς τῶν πατρωνιῶν, καὶ διὰ τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς ἄλλας ἐπικτωμένοις.

„tute partis augere, magnam insignium ac nobilium familiarum Romae „laudem fuisse.“

Testatur eam quoque huius vinculi sanctitatem ordo officiorum, quem Gellio teste *f*) viri sapientes constituere: ut *primum iuxta parentes locum pupilli tenerent, fidei tutelaeque nostrae crediti; secundum eos proximum locum clientes haberent, qui sese itidem in fidem, patrociniumque nostrum dediderint; tum in tertio loco ut hospites essent, postea demum cognati affinesque sequerentur*. Et quanquam alii, in illa officiorum & necessitudinum gradatione, nonnulla secus ac diximus collocant, in eo tamen haud discrepant: *clientes neque sine summa infamia deseri potuisse, & adversus cognatos pro cliente testandum, adeoque clientelae vinculum potius cognatione habendum fuisse*. Quam id minime absurde illi statuerint, egregie *g*) Vauchopius observat: *sunt enim*, inquit, *clientelae & hospitia, vincula electionis, & libera; cognatio autem vinculum naturae, quod saepe cum indignis potest intercedere:* quos autem *libere eligimus, iis sanctam debemus fidem, eo magis, quod si eam praestare ipsis noluissemus, nihil nos cogit ad tale vinculum contrahendum*.

Pergit autem Dionysius in laudibus huius instituti a Romulo patrocinii *h*), „ingens fuit, inquit, inter utrosque certamen ne vincerentur mutua „gratia ac benevolentia, dum clientes omnia pro virili obsequia patronis prae„stare nitebantur; patroni vicissim ut molestiam fieri clientibus sinerent, nullis cor-

f) Noct. Attic. lib. 5. c. 13.
g) de Veter. populo Roman. in Thes. A. R. Graev. T. III. p. 1011.
h) l. c. p. 85. ὅ τε ἀγὼν ὑπὲρ τῆς εὐνοίας, ὑπὲρ τοῦ μὴ λειφθῆναι τῆς ἀλλήλων χάριτος, ἔκτοπος ἡλίκος ἀμφοτέροις ἦν τῶν μὲν πελατῶν, ἅπαντα τοῖς προστάταις ἀξιούντων, ὡς δυνάμεως εἶχον, ὑπηρετεῖν. Τῶν δὲ πατρικίων, ἥκιστα βουλομένων τοῖς πελάταις ἐνοχλεῖν, χρηματικήν τε οὐδεμίαν δωρεὰν προσιεμένων. οὕτως ἐγκρατὴς ὁ βίος ἦν αὐτοῖς ἁπάσης ἡδονῆς καὶ το μακάριον ἀρετῇ μετρητὸν, οὐ τύχῃ.

„lis corrumpi muneribus ac donis poterant. Tanta illis in omni vita temperantia a voluptate fuit, & felicitatem virtute non fortuna metiebantur."

Satisne haec Dionysio testimoniorum fide explorata fuerint, uti equidem nunc non contendam, ita tamen dissimulare nequeo, satis mihi persuasum esse, patricios, fidem quam clientibus debebant, saepe cordi haud magnopere habuisse ne in primis quidem liberae reipublicae temporibus, &, plerisque certe ordinis sui ac potentiae, rationes multo antiquiores fuisse. Nam cum rempublicam, quam regibus exactis instituerant, soli administrare laborarent, omnem animi sollertiam, & callida etiam subinde consilia, eo intendisse videntur, ut plebem plane sibi obnoxiam redderent: inde illa in nexos asperitas, ac plebis ex foenore calamitas: inde illa, in agrorum ab hoste captorum divisione, erga plebem malignitas: inde acerrimae illae cum Tribunis contentiones, frequentesque Romae seditiones, & aliquot etiam factae secessiones: ipsa illa iuris peritia, qua respondere clientibus tenebantur, quam turpiter abusi sint ad deludendam miseram plebem, cum supra dixerim non repetam. Nonne etiam illae plebis & Tribunorum cum patribus coortae contentiones de lege Terentilla, malignitatis hos in iure dicundo & in respondendo, arguunt? Nonne ipsa Tribunorum creatio, qui adversus magistratus superiores auxilio, plebejis tum universis tum singulis, essent, ostendit, quam infirma esset & parum fida patronorum tutela? quamque saepenumero iure suo magistratus abuterentur? Etenim Tribunos iam Coriolanus *i*) plebis patronos appellat, & constat eos, non in publicis solum utriusque ordinis certaminibus, verum in causis etiam singulorum civium, plebis tutelam suscepisse. Quocirca me haud procul a vero absuturum existimo, si statuam, iam inde a prima Tribunorum creatione, vetus illud a Romulo institutum patriciorum patrocinium, sensim evanescere, & ad eam paullatim deflectere indolem coepisse, quam postremis liberae reipublicae temporibus habuit, cum non patriciae tantum, sed & plebejae nobilium tamen gentium

i) Dion. Hal. A. R. l. 7. p. 435.



gentium numero adſcriptae familiae, potentiae potiſſimum & magnificentiae ſtudio, clientelas quaererent, ut quemadmodum opibus, domo, paratu ſpecioſae, ita & per nomen & clientelas illuſtriores haberentur *k*)

Antea tamen quam in illam luxuriam prolaberentur, ingens huic in deterius factae mutationi momentum ab ortis coloniarum, devictarumque urbium, & nationum patrociniis, adjectum eſſe equidem credo. De his exterorum clientelis Dionyſius: *l*) „nec tantum inquit in ipſa urbe plebs ſub „patriciorum erat patrocinio, ſed & coloniarum, & ſociarum civitatum, „& bello ſubactarum, ſuos quaeque habebat tutores ac patronos, quoscun„que vellet e Romanis.“ De eadem quoque re praeclarum eſt teſtimonium Ciceronis *m*) „ſtudebant, ait, magiſtratus Romani, imperatoresque ex hac „una re maximam laudem capere, ſi provincias, ſi ſocios aequitate & fide „defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terrae verius, quam impe„rium poterat nominari.“ Ad corpora quoque negotiatorum, & artificum collegia, tandem idem inſtitutum proceſſiſſe invenimus, cum nullum fere eorum eſſet, quod non patronos ſibi Romanam quandam familiam adoptaſſet. Exempla eiusmodi patronorum, ex corporibus Inſcriptionum Reineſii, & Gruteri collecta, videre eſt, apud Heineccium. *n*) Alia, quae mihi annotata ſunt, ipſe proferam, praeſertim cum obſervationibus nonnullis inſerviant, quae etiamſi haud novae, neque tamen alienae aut inutiles videbuntur. „Bononienſibus, Auguſtum publice, quod in Antoniorum „clientela

k) Tacit. Ann. l. 3. c. 55.

l) l. c. p. 85. *οὐ μόνον δὲ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τὸ δημοτικὸν ὑπὸ τὴν προστασίαν τῶν πατρικίων ἦν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀποίκων αὐτῆς πόλεων, καὶ τῶν ἐπὶ συμμαχίᾳ καὶ φιλίᾳ προσελθουσῶν, καὶ τῶν ἐκ πολέμου κεκρατημένων ἑκάστη φύλακας εἶχε καὶ προστάτας οὓς ἐβούλετο Ῥωμαίων.*

m) de Offic. l. 2. c. 8.

n) in Syntagm. A. R. Iprud. illuſtr. l. 1. T. 2. §. 29.

„clientela antiquitus erant, gratiam fecisse, conjurandi cum tota Italia pro partibus suis," Suetonius *o*) dicit. qui locus duplicem ob causam memorabilis videtur: primo, quod Bononienses in Antoniorum clientela fuisse, docet: deinde quod innuit, Bononienses hoc clientelae vinculum apud Augustum praetendisse, eo, ne ab ipsis postularet, ut cum reliqua Italia pro partibus suis, adversus patronum conjurarent, idque Augusto vinculum, iustam satis excusationem visum fuisse, & causam idoneam, ad eam ipsis quam peterent gratiam faciendam. Fabiorum patrocinio civitatem Allobrogum plurimum usam esse ex Sallustio *p*) novimus; & Lacedaemonios in Claudiorum: Puteolanos in Cassiorum: Siculos in Marcellorum, dein Scipionum, postea Metellorum, & demum etiam in Ciceronis clientela fuisse, Cortius *q*) annotavit, idoneisque autorum testimoniis confirmavit: sic Capuanos Ciceronem patronum habuisse, eique statuam inauratam posuisse ipse *r*) prodit. Atque postrema haec patronorum Siciliae exempla, ideo etiam memorabilia sunt, quod ostendunt, & plebejos origine, quales Marcelli, ac Scipiones fuere, & novos adeo homines, qualis Cicero fuit, patronos provinciarum, & sociarum civitatum electos esse, idque puto innuere velle Dionysium, cum dicat: potuisse socias civitates sibi e Romanis patronos legere quos vellent. non enim patricios dicit, sed quos vellent: Quare in ipsa quoque urbe, jam diu non patricios solos, verum jam inde, ex quo promiscui esse coeperunt magistratus superiores, ut alia patriciorum iura sensim cum plebe communicata sunt, ita credo, & plebejos origine homines etiam patronos legi potuisse, & lectos utique esse. Neque id annotasse piget: devictas plerumque civitates, ipsos a quibus devictae erant imperatores Romanos, patronos eligere sibi, solitos fuisse. id enim Cicero *s*) diserte testatur: ***in quo.*** (sc. ne hostile quid in eos qui se dediderint statuatur

o) in Augusto. c. 17.
p) in Catilina. c. 41.
q) ad Sallustii Catil. l. c. §. 4. in notis.
r) Oratt. in Pisonem c. 11. & pro Sextio c. 4.
s) de Offic. L. 1. c. 11.

D




tuatur, quanquam antea hostes fuerint) inquit, *tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum.* Ea autem patrocinia haud hereditaria fuisse in primorum patronorum familiis, commemorata antea Siculorum exempla, & Capuanorum loquuntur.

Officium patronorum illorum fuit, ut coloniarum, urbium, collegiorum cet. negotia, in Senatu & urbe curanda in se reciperent, „& saepenumero Senatus controversias civitatum ad earum patronos remisit, eorumque iudicia rata habuit.“ *t*) Contra autem, clientium erat, ut diligenter patronos & assidue colerent, salutarent, deducerent. At, quam id etiam in deterius abierit, institutum, Ciceronem *u*) querentem audiamus: *sensim*, inquit, *hanc consuetudinem, & disciplinam iam antea minuebamus, post vero Syllae victoriam penitus amisimus: desitum enim est videri quidquam in socios iniquum, cum extitisset in cives tanta crudelitas.* Factum enim est, ut potentiae causa, quam plurimos tum in urbe, plebis potissimum urbanae, & turbae forensis, tum extra urbem, per Italiam inprimis, clientes, largitionibus, benignitatibus, novis coloniis deducendis, agrorum divisionibus, quorum veteres etiam possessores, si in aliorum clientela essent, migrare iubebant, sibi quaererent, quicunque factionem popularem fovebant, optimatibusque adversabantur, ac perniciosis consiliis publicae libertati insidiabantur. Sic enim, Claudium Drusum, legimus; *v*) statua sibi cum diademate ad Appii Forum posita, Italiam per clientelas occupare tentasse: Sic Syllam invenimus decies mille Cornelios, quos libertate & civitate donaverat, totidem satellites in urbe; veteranos autem, quibus per Italiam muni-

t) Dion. Hal. l. c. p. 85. *καὶ πολλάκις ἡ βουλὴ τὰ ἐκ τούτων ἀμφισβητήματα τῶν πόλεων καὶ ἐθνῶν ἐπὶ τοὺς προϊσταμένους αὐτῶν ἀποστέλλουσα, τὰ ὑπ' ἐκείνων δικασθέντα κύρια ἡγεῖτο.*

u) de Offic. l. 2. c. 8.

v) Appian. Civ. l. 1. p. 412.



municipiorum, & coloniarum, quae arma adversus ipsum tulerant, agros diviserat, paratissimum semper praesidium ad se tuendum habuisse. w) Sic deinceps Caesarem quoque, diviso XX. millibus civium, quibus terni, pluresve liberi essent, campo Stellate maioribus consecrato, agroque Campano, ad subsidia reipublicae vectigali relicto, fecisse constat, qui deinde totidem eius clientes essent, & omnes leges in eius consulatu perlatas, suis suffragiis sustinerent, ne abrogarentur: x) Ita denique Augustum, reductis, post victoriam Philippensem, in Italiam suis & M. Antonii veteranis, municipales divisisse agros, pulsis veteribus possessoribus, memoriae proditum est, eosque ipsos, postea evocasse, eorumque potissimum opera, & in Perusino, & in Actiaco bello usum esse.

Atque ita tandem Respublica interiit, & periit libertas, versumque in perniciem est, quod ingens diu, internae ac domesticae inter tot seditiones concordiae certumque satis praesidium fuerat. Idem ex Dionysio y) audiamus: „adeo, inquit, ab *his initiis*, autoritate Romuli exstructa, „inter Romanos, firma stetit concordiae consuetudo, ut nunquam inde per „sexcentos & triginta annos ad sanguinem, & mutuam caedem ventum sit, „quam-

w) Sueton. in Caesare. c. 20. x) id in Augusto. c. 13.

y) l. c. p. 85. ὅυτω δὲ ἄρα ἡ Ῥωμαίων βέβαιος ἦν ὁμόνοια, τὴν ἀρχὴν ὑπὸ τῶν ἐκ τοῦ Ῥωμύλου κατασκευασθέντων λαβοῦσα ἐθῶν, ἅστε οὐδέποτε δἰ ἅιματος καὶ φόνου τοῦ κατ᾽ ἀλλήλων ἐχώρησαν ἐντὸς ἑξακοσίων καὶ τριάκοντα ἐτῶν, πολλῶν καὶ μεγάλων ἀμφισβητημάτων γενομένων τῷ δήμῳ πρὸς τοὺς ἐν τέλει περὶ τῶν κοινῶν, ὡς ἐν ἁπάσαις φιλεῖ γενέσθαι μικραῖς τε καὶ μεγάλαις πόλεσιν. ἀλλὰ πείθοντες καὶ διδάσκοντες ἀλλήλους, καὶ τὰ μὲν εἴκοντες, τὰ δὲ παρ᾽ ἑκόντων λαμβάνοντες, πολιτικὰς ἐποιοῦντο τὰς τῶν ἐγκλημάτων διαλύσεις. ἐξ οὗ δὲ Γάϊος Γράκχος ἐπὶ τῆς δημαρχικῆς ἐξουσίας γενόμενος, διέφθειρε τὴν τοῦ πολιτεύματος ἁρμονίαν, οὐκέτι πέπαυνται σφάττοντες ἀλλήλους, καὶ φυγάδας ἐλαύνοντες ἐκ τῆς πόλεως, καὶ οὐδενὸς τῶν ἀνηκέστων ἀπεχόμενοι παρὰ τὸ νικᾶν.



„quamvis multae & magnae inter populum controversiae de republica ori-
„rentur, sicut in omnibus tam parvis quam magnis civitatibus solet: sed
„persuadentes alias, & alias se mutuum edocentes; nonnunquam conceden-
„tes, vel a non repugnantibus impetrantes, exortas civiliter querelas diri-
„mebant. Ex quo autem C. Gracchus potestatem tribuniciam nactus civi-
„lem distraxit concordiam, nondum desierunt in se mutuis caedibus saevire,
„& in exilium se invicem ex urbe abigere, & omnem insaniam perpetrare
„propter victoriam."

Ad vanitatem tandem & luxuriam deflexit nobile illud Romuli institutum, & vile admodum factum est clientelae vinculum, ut cum servis adeo clientes, ante sellas & lecticas mollium & ambitiosorum patronorum incederent: Multos etiam misera sportula, quam distribuere patroni solebant, vel coena sordida, quam dabant, allexit, ut clientes sese addicerent patronis in luxu & ambitiosa pompa viventibus. Statuis quoque in honorem patronorum erectis, atria patronorum exornare solitos fuisse clientes Plinius z) autor est: *mox enim*, ait, *forum & in domibus privatis factum, atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos*, & alibi, *) ubi de statuis publice Romae positis loquitur: *passim*, inquit, *gentes in clientelas receptae posuerunt patronis.* Turbam illam clientium, de qua antea diximus, quae patronos comitabatur, *togatam* poetae & *albam* dicunt, ut a servis eam discernant; & *salutatricem*, quod summo mane ad divitum fores praestolabatur, & luce adhuc dubia, vix bene amicto corpore adesse festinabat; cum maximae sibi laudi ducerent clientes, qui primi ad salutandum patronum comparuissent. Matronas tandem Romae eiusmodi clientelas quoque habuisse, atque uxores clientum, itidem salutatum comitatumque ivisse patronorum uxores, iisque arte, & operibus inserviisse, clientasque dictas esse & Horatius **) & Iuvenalis ***) autores sunt.

Sed

z) Hist. Nat. lib. 34. cap. 9.
*) id. ib. c. 15. **) Carm. I. 2. od. 18. ***) Sat. 10.

Sed tempus eſt, ut finem & modum tractationi imponam; adeant qui plura de illa Romanorum luxuria cupiunt autorem infra excitatum. †)

Addam nunc argumenta orationum, quas ordine, quo nomina eorum edidi, habebunt, *ornatiſſimi adoleſcentes*, non ingenii tantum dotibus, & litterarum amore, aſſiduaque diligentia, ſed morum inprimis quoque probitate & indole ingenua ad virtutem haud dubie inclinata propenſaque, maximopere commendabiles.

GEORGIVS CAROLVS HEDEMANN Herrmansburgo-Cellenſis, *de praeſtantia propenſae ad virtutem indolis, deque excellenti eius fructu, iam inde a prima pueritia per omnem reliquam vitam percipiendo*, oratione vernacula & ſuopte ingenio elaborata:

LVDOLPHVS FRIEDERICVS CORDEMANN Hannoveranus *de utilitate ex Fabularum Graecarum ſtudio in virtutis etiam diſciplina capienda, oratione latina ab ipſo elaborata*, dicent, &

ALBERTVS FRIEDERICVS LVDOLPHVS LASIVS Cellenſis: *Nullam absque virtute veram felicitatem intelligi, & neminem in quo virtus ſit, plane miſerum eſſe*, carmine vernaculo, modo forſan non omnino vulgari, canet.

Ad benevole audiendas orationes illas TE ILLVSTRIS DUVE, TEQVE ILLVSTRIS HEYNE quorum tutamini & patrocinio, hoc Paedagogium & ſalutem debet, & laetum illum, in egregio ſelectu, adoleſcentum ingenuorum litterarum amore ardentium, ac coniuncta cum morum probitate elegantia conſpicuorum, potiſſimum ſitum florem: Vos inquam

†) Stanisl. Kobierzyckium, de Luxu Romanor. in Theſ. A. R. Graev. Tom. VIII. p. 1332.

inquam QVIBVS, in ſolenni hac Paedagogii illuſtratione, commemorati antea adoleſcentes, & ingenia, & impenſam litteris operam adprobare inprimis geſtiunt, demiſſa equidem mente invito, ut benigne adeſſe, VESTRAque praeſentia noſtrorum excitare porro & acuere ſtudia haud gravemini.

Reliquos etiam PATRONOS ac FAVTORES, qui rebus noſtris ac ſtudiis favent; ut & CLARISSIMOS IVVENTVTIS MAGISTROS, COLLEGAS HONORATISSIMOS; AMICOS omnes; & ORNATISSIMOS denique COMMILITONES; qua quemque decet veneratione, obſervantia, ſtudio & affectu, ut hunc actum frequentia SVA celebrare, ornare, ac noſtrorum exercitationes favore SVO adiuvare velint, rogo atque invito.

